

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Exercitatio Moralis Ad Historiam Conradini Ultimi Sueviae
Ducis, ...**

**Hochstetter, Andreas Adam
Grüninger, Johann Christoph**

Tubingae, 1699


urn:nbn:de:bsz:31-102557




Gym 211

Ex
BIBLIOTHECA
ILLUSTRIS
CAROLI HESYCHEI.

65720





EXERCITATIO MORALIS

Ad Historiam.

CONRADINI
ULTIMI SUEVIÆ
DUCIS,

Quam

AUSPICE CHRISTO

SUB PRÆSIDIO

V. RI Plurimum Reverendi & Excellentissimi,

DN. ANDRÆ ADAMI HOCHSTETTERI,
Phil. Pract. Prof. P. Ordinarii,
PRÆCEPTORIS SUI VENERANDI.

In

INCLYTA ACADEMIA TUBINGENSI

PRO GRADU MAGISTERII PHILOSOPHICI

Ad d. Jul. defendet

JO. CHRISTOPHORUS GRÜNINGERUS,
Tubingensis, Sercenis, Alumnus.

TUBINGÆ.


Typis JO. CONRADI REISL.

Anno M DC XCIX.

9

4 am Gym 211

22



כשי

EXERCITATIONIS MORALIS

De

CONRADINO
ULTIMO EX SUEVIS DUCE,

CAPUT I.

SUMMA.

- | | |
|--|---|
| I. Instituti rationes exponuntur. | V. Spretum ab eodem Papæ interdictum, & à Romanis exhibiti honores. |
| II. Ad historiam Conradini, Tractationis nostræ Moralis argumentum, accessus. Conradini Natales. Cunradi IV. obitus, Manfredi Pontificisque conatus ac triæ. | VI. Caroli Andegavensis destinationes & Germanorum acies, in Gallosque victoria. |
| III. Expeditio Cunradini decreta, & propositi causæ | VII. Mutata mox rerum facies ob militem Germanum disfluentem. Captivitas Principum. |
| IV. Cunradini in Italiam adventus, & auctæ copiar. | VIII. Et in eos pronuntiata Capitis sententia. |

I.



Uli veterum recentiumque historiarum monumenta cum iudicio legunt expenduntque, non, quod fieri ab imperitoribus solet, intra exteriorem narrationum recensuumque corticem subsistunt: sed facta, resque gestas & varios humanorum consiliorum eventus ad praxin deducunt, & si quid in exemplis expressum signatumque luculentius deprehendant.

A

110-

morali & practica adplicatione in vita hujus moderamen usumque convertunt. Quo fit, ut summorum una Virorum consilia, virtutes, vitia, affectus, propriis quasi vivisque characteribus ac notis demonstrantur, honestorumque adeo ac turpium discrimina, divinae denique providentiae, hisce omnibus quae inter mortales geruntur, sapientissimè mirabiliterque moderantis specimina è tam diversis vitae casibus actibusque non sine fructu ostendantur. Cujus quidem rei, ubi exemplum quaecumque edendum impresentiarum fuit, Cunradini ultimi è Suevis Ducis Historiam sumimus ad manus: quam ex idoneis fideque dignis auctoribus, sed breviter, pro instituti nostri ratione, excerptam probatamque ac fultam primò dabimus: & observationes deinceps, Philosophiae practicae beneficio, pro Academicæ Exercitationis modo ritumque subjungemus.

II. Lugent nimirum plorantque adhuc infelici *Cunradini sui* calamitatem Suevi, quæ ne Di quidem pares, Casare auctore: neque dum illatam suo sanguini injuriam penitus concoxere. Ceterum nomen ei fuit Cunradj, quod mox in Cunradini vocem apud nonnullos excrevit: Itali haud rarò Contradinum appellitant. Prodit in hanc lucem Anno *Æræ* vulgaris M CC LIII, quo anceps jam erat Imperii Status, Landishute Ba-

Sic Vrsberg.
Et Germ. n.
Scriptores
const. inter.
Conf. Episto
in Cunradini
ad Principes
Imperii, a.
pud Goldast.
Tom. un. p.
309. Et Ba-
eler. Specim.
Annot. ad
Æneæ Sylvi
Hist. Frider.
III. Edit.
Kulpisiana
p. 142.
Conf. B. Pla-
ssina in Vitæ
Pontif. p. 210.
Et Crus. An-
nal. sur v.
lib. 2. 10. 87.

varica: Parente *Cunrado IV.* Rom. Imp. ac Neapoleos Siciliaque Rege, Duce Suevorum, longa serie ab antiquissimis Suevis, per tres ordine Cæsares Fridericum II. Avum, qui & Manfredum è concubina genuerat: Henricum VI. Proavum, & Fridericum denique I. Barbarossam Abavum ductæ; Mater fuit Elisabetha Ottonis Bavarie Ducis filia, soror Ludovici, qui Imperatoris Ludovici Pater ex Anna Polona exitit. Pater Cunradus IV. Sexto, antequam Cunradinum infelix eniteretur Mater, mense in Apuliam, relicta Landishute gravida, avitum paternumque Regnum repetiturus contendebat: Cujus jura, quum Innocentius, quæ quidem nec ipse habebat, immani nec tamen infueta Tyberino Præsuli licentia aulique, Carlotto Anglico tradidisset, negligi ab se adeo haud posse ratus, Papæ iras haudquaquam metuebat; qui quum potentie Regiæ imparem se sentiret, sacris cum omnibus atque Ecclesiæ usurpatione prohibuit. Vixisset ingentis animi Princeps, & quam *non penes Papam stet, jura scribere imperantibus aut regna pro libidine distribuere*, optimè edoctus, Pontificiis molitionibus frenum injecisset. Sed aliter visum supremo Numini. Namque nemine jam de Maximi Imperatoris interitu cogitante, subito per factionem Manfredi (quæ constans cordationum sententia erat)

erat) Si iiliatum dominatui dudum inhiantis a) veneno extinguebatur: condito tamen paulo ante obitum testamento scriptoque haredede * Cunradino. b)

*Edit. Fran. cof. 1595. *Filio suo, no Fratri Hen. rici, uti per am refert Aeneas Syl. Sim. ii. for. Frid. III. p. 33. conf. cap. II. § 20.*

III. Latus hoc obitu Innocentius, ad occupandum regnum Neapolitanum se accinxit, neque jure se modo quod Ecclesia pretendat, sed & exulum Nobiliumque precibus ad id conandum erigi adfirmavit. Inter hac & Manfredus Neapolim delatus, id a Pontifice, quem humili cultu mellitisque verbis delinierat, obtinuit, ut in Apulia, pulsus Cunradini Tutoribus pro lubitu victitaret: sed uti ferè cum amicitia, que subdole coaluit, evenire consuevit, ut parum firma existat. Sic Manfredus compositis nonnihil rebus suis, bellum contra Innocentium parare: hocque è vivis sublato, Alexandrum sacris sibi interdicentem armis impetere, Cunradinum mortuum per subordinatos lugubrique habitu incedentes Germanos nunciare: exequias per universum Regnum instituere: Neapolim occupare, Rex salutari. Quibus quidem perceptis Cunradinus, ablegatis ad Pontificem Oratoribus, vivere se testatus est. Lucenses quoque & Florentini decreta ad eundem Legatione in Sueviam misere Simonem Donatum & Bonacursum, equites: qui quum Cunradinum puerili ferè etate, neque dum ad res gerendas aptum vidissent, non sine spe fati melioris, votoque pro felicibus Desideratissimi Pueri incrementis, discessere. Inter hac Urbanus IV. Præful Romanus missis in Galliam, è qua genus duxerat, Legatis, veniam delictorum omnibus, qui contra Manfredum, evocatis hac fini ex Africa Saracenis omnia vastantem, præsto sibi futuri essent, promisit: mox & eo progressus est, ut Carolo Andegavensium Duci, Ludovici Francorum Regis Fratri Campaniam, Apuliam, Siciliaque Regnum largiretur: ea tamen lege, ut id armis suis adquireret Carolus, tributumque annuum tam benefico Largitori persolveret. Conditionem ille accipit, venit, prælio vincit: Cadit Manfredus, Nobilissimæ conditor Manfredoniae, vitamque cum Imperio finit. c) Sublato illo Cunradinus tredecim annorum adolescens hortari suos, ne qui in Italiâ præcla-

A 2 rum

- a) *Pesito à Medicis in clystere veneno, quois Manfredus magna erat pollicitas. Al ter tamen Auctor Hist. Eccles. Gothan. IV, 5, 8.*
- b) *Vixissent Suedis, non eò tandem redacta res Imperii fuissent, ut aliquando Imperatorem facilius fuerit in ordinem redigere, quam scabiosum Monachum. Vide Sekendorf. Hist. Luthoranismi II, 110. & Luther. To. IV. Altenburg. p. 112.*
- c) *Memorabile de eo est, quod alibi legitur, decapsum vehementer Manfredum fuisse, ubi ad prælium cum Carolo se accingeret, accepto tali per ora-*

*Adde Mona-
ebum S. Ju-
stina Padua-
na Chron. L.
Tit. p. 623.
apud Chri-
stian. Vrbis.
Edit. Fran-
cof.*

rum nomen Patris Avigae ductu, peperissent, extincta jam veluti Suevicæ nobilitatis indole gentisque fortissima Majestate, Siculo se regno exui paterentur. Igitur ab Alamannis quoque in consilium vocatis definitum, proficisci in Italiam cum exercitu Cunradinum oportere. Constat jam Suevos Bavarosque è quorum sanguine Matrem Cunradini prodissè memoravimus, conjunctis firmatisque copiis, Regnum, è paterna avitaque successione Juveni Principi debitum repetituros: sed & Hetruscorum G. bellini à Guelphis malo antea fato pulsus in spem novarum rerum erigebantur: Pontifex denique, pendente Cæsarum duorum, Alphonsi Castellæ Regis, & Richardi Cornubiæ Comitis Angli, lite curam Imperii ad se pertinere clamitans, Carolum Suevis objicere meditabatur: vetans insuper, ne, ne quis Regem Sicilia diceret Cunradinum: ne vel consilio, vel re ipsi adesset; imò ne Principes, qui vocem, quod ajuat, in electione Cæsaris Romani haberent, ipsum in Regem Romanorum eligerent, sub ex-

*Naucl. Ge-
nerat. XLIII.
In Epistola
apud Golda-
stum dicit
se relictum
à Patre suo
Conrado te-
nellum in
fontium:
apud The-
od. à Niem:
relictum sub
Bailla seu tu-
tela Urbani
dicitur.*

communicationis pœnâ. His ergò apud se expensis, missa in publicam epistola Cunradinu: vehementer conquerebatur: *Innocentium innocenti-
ubi nocuisse: se in manibus S. Matris Ecclesia à patre tenellum condito-
testamento relictum esse: Papam verò terras alienas inter Consanguini-
neos & Nepotes suos distribuisse. Interim quum Manfredum, qui il-
las recuperatas perfidè ad se iraxerat, è vivis excessisset, sibi heredi-
legitimo ab Innocentii successoribus, Alexandro, Urbano, Clemente IV.
easdem ereptas, atque ad Carolum Andegavensem nullo jure translatas
esse. Nec destitisse Clementem, quin & regni titulum, dum Carolum
Gallum per Italiam Vicarium Imperii scripserit, auferre. His se læcessi-
tum injuriis Jus suum de Carolo vindicaturum.*

IV. Vertente igitur anno, Cunradinus, Veronensium, Papiensium, Scenensium, Pisanorum, Romanorumque Legationibus literisque excitus, hortante insuper Matre Elisabetha, ad transalpinam expeditionem se profusus accinxit. Eunti Comites fuere Fridericus, Hermanni Austria ac Styria Ducis Filius, itemque Ludovicus Bavarus, avunculus, Exercitus præter peditatum. X M. Equitum constabat: è quo, quum Veronam venisset, VII. M. remisit, pecuniæ defectu, *quod initium Mali fuit.* Bavarus quoque specie Comitiorum Augustalium in Germaniam Papæ jussu rever-

*culum responsa: Non, Non, Gallus superabit Apulum. Nempè dupli-
negatione sefellit incautum Principem Bonus ille Grammaticus, quum
affirmationis interdum aquirere Manfredus non advertebat. Adde Gio-
org, Marbium de Orac, c. 49. è Phil. Mornæ. de V. R. C.*

reversus est. Quanquam ne nunc quidem infeliciter processere res Cunradini: Namque Mantuæ & Papiæ maxima omnium congratulatione exceptus, atque Genuensium littore Pisani navibus Pisam vectus, & aliquandiu ibi commoratus, multis d) Gibellinorum, Longobardorum, veteris utrinque domini memorum, ac Amilianorum copiis auctus mirificè est.

V. Multum quoque sub id tempus auxilii Cunradino attulit Fredericus Hispanus, ejusdem Consanguineus, qui cum validâ Saracenorum manu universam prope Siciliam (exceptis Messina, Syraculis, & Panormo) in potestatem redegit: Pisana etiam classis XL. terè magnarum tritemium maritima regni loca perlustrans, Carolinas naves Messinam usque persequuta est; Interim Cunradino Pisis solventi, quàm Senas attigisset, e) interdictum à Papa prædictum, ne contra Carolum quidquam moveret, neve Regnum Neapolitanum, f) quod ad Ecclesiam pertineat, (quo Jure? Non alio, quam quod latitanti in scrinio pectoris Papalis Spiritui sic visum) adpeteret, secus si fecerit, *Sacram incursum censuram*. Sed is posthabitis Papæ minis Apuliam mox omnem, in amplexus exoptatissimi Principis sponte sua ruentem occupavit: Romæ denique haud secus quàm Augustorum proles, & Campaniæ, Apuliæ, Calabriæ, Siciliaque legitimus heres à S. P. Q. R. & Heinricho Castiliæ Regis filio, Senatus Principe exceptus, in Capitoliumque ductus, & eo quidem honore, qui Imperatori sufficillet, affectus est.

A 3

VI.

- d) Vide Du Fresne Glossar. Voce: *Gibellini*, quo cum à Weiblingensibus dictos esse existimamus, Andr. Brunner. Annal. Bojor. P. III. p. 822. *Pisam accessit, tanto ubique Gibellinorum plausu exceptus, ut mirum non sit incauti Adolescentis aures adversus Pontificis minas ebulluisse.*
- e) Observatu indignum non erit, quod Brunnerus, ex Jesuitarum ordine Scriptor adnotat: *Adversus ejuemodi fulminibus aures minus jam excommunicationis nomine movebantur: Grava esse necesse est, qua formidini esse vellet.* Addat. Henr. Stero, Monachus Althæ inferioris, ap. Marq. Freher. Tomo uno Rer. German. p. 385. *Roma Conradinus gloriose tanquam Imperator cum magno triumpho suscipitur, pariter pendens Papa excommunicationem.* Similiter Martin. Polonus Chronol. Rom. Pontif. app. ad Hist. Aenæ Sylvii p. 378.
- f) *Agnita tamen comque ab Hispanis est Pontificum in Siciliam cum Pharus su. ultras, ut feudi loco à P. R. accipiant, eaque propter quotannis equam albam ephippio & ornamenta ex holoserico rubro ornata simul VII M. aureorum pend. m. ubi Pontifex accepta pecunia dicere fertur: Sufficiant pro hac Sico. Conf. Becm, H. O. P. II, c. 1. §. 2, 437, 438.*

*Vbi Benedi-
ctus ordinem
instituit.*

*E. Cruf. no-
ster III. II.
18. 116.*

VI. Ibi verò, quàm Cassinum custodiret montem, angi vehementer
cepit Carolus, quod copias suas distraxisset, & Cunradinum Roma egres-
sum via Tiburtinâ versus Regnum proficisci audiret. Summa rerum con-
filiorumque tum penes Alardum, Veteranum inter Gallos militia Ducem
stetit, quem à Visitatione quidem Dominici sepulchri Neapolim adpel-
lentem, Messanæ adversus Fridericum Hispanum altera exercitus parte
consistente, altera verò defensionis orâ maritimæ destinata, prope ad se
vocavit Carolus, qui & aciem mox instruxit ipso Augustini die, V. Kal.
Septembr. M. CC. LXVIII. præmissis duobus agminibus, Duce Philippo
de Montetorti: qui in secundo constitutus agmine, regio ornatu insigni-
busque conspicuus ita prominebat, ut ipse Rex Carolus esse à suis quo-
que putaretur. Tertium agmen ex optimis fidelissimisque collectum unâ
cum Carolo in valle vicina, ubi conspici non poterat, latebat. Alardus
in summo colle, quò in vallem prospiciens, paratus in omnem eventum
esset. Succedebat jam Cunradini acies militari ordine sub signis: g) pri-
mi ibant Romani, Itali, Hispanique omnes: Sequebantur Cunradinus &
Austriæ Dux, æquales ætate cum ter mille gravis armaturæ viris, quæ
Principum data custodia erat. Ventum ad manus: Philippus Montfor-
tius, qui vestiti & insignibus Carolum præsentabat, dato ad configendum
primo agmini signo, ab adversis partibus magno animorum ardore ex-
septus: strati Galli; Ipse interim Dux acerrimè pugnans hostem ad tertiam
usque

B) Orationem Cunradini ad milites graphicè delineavit Jesuita
Brunnerus, quem libentor heic sequimur, Papæ tricæ haud
omnino dissimulantem: *Quinguo, dicebat, Caesaribus unicum ha-
res succedo. Supra centum annos Imperium Germaniâ in nostro sangui-
ne stetit. Coronam Imperii Principum favore tot Caesarum soboli desti-
natam Alexander Pontifex invidiosissimus literis, quibus omne gentis no-
stra nomen confixum est, iniecit. Sicilia supererat nobilissima certissi-
mæque portio paterna hereditatis: eam quoque si adissem, nimis felix
futurus Pontificibus sum visus. Ergo conuratu advertendas omnes spes
mea reliquias animus, jure Gentium frus me non sunt passus: Et quia soli
hodie imperant, regnaque Sportularum insular dividunt mancipiis aut
Clientibus suis, Coronam meam alter homini extero ostendat, alter im-
posuit. Nullum jam meo nocentem est caput; ego esulbris pulvis, ego Ler-
naa hydra pestilentior Basiliscus, ego mali cordi pessimum odium Pontifi-
cum literis traducor. Omnia in me arma acuantur, & nullum hodie
sanctius bellum dicitur, quam quod in adolescentem innocuum, omnibus
pupillis calamitosiorem, Pontificum auspiciis appreciationibusque est
susceptum, Annual. Boj. P. III. 826.*

usque horam sustinet, ut in quam partem victoria inclinaret, cognosci non posset. Tandem conglobati quidam Itali Hispanique, facta in larvatum Regem validâ impressione, Philippum humi ictum stratumque interfecere. Sequuta propediem fuga, quod ipse Carolus putaretur interisile. Potitos se victoriâ rati Conradiniani, dissipatos insequi & spolia legere: Germani quoque, qui circa Principes Juvenes custodiae causâ constituti erant, negotio se admiscere: ita ut profligatis Gallis quum passim effusissima fieret fuga, victor & exercitus dissiparetur.

VII. Nullum ergo jam in campis amplius erat justum agmen; nullum in subsidii robur: cingebant aliquot vilissimi calones corpus Principis. Vagus miles, prædæ intentus, quasi certissimus Victor exultabat. At verò senex ille Viteator Alardus, postquam è collis, quem antea dixi, vertice omnia notasset, Carolum Regem è valle repente moventem hostibus dispersis prædaque onustis supervenire jubet. Ille mox circumducta delectorum acie in planitiem venit, hostes cedit, fugat, capit, ad ipsa Conradini signa penetrat: qui quum videret, quem repente in locum res suæ deductæ essent, cœli velut ignibus ictus, de vita vivens ambigit ipse sua. Attonitus ergo, cum Friderico Austrio paucisque aliis fugit, triduumque vili indutus veste per sylvas ac saltus ignote Italiae oberrat. *b)* Ubi Asturam venit, navis concidendæ consilium cepit, quæ Pisas, fidam ac sociam urbem dirigeretur. Jamque cum naviculatore convenerat, & conscensâ navis. Sed panis & commeatus deerat, quem mittunt eundem illum præstinatum. Pecunia etiam deerat; igitur alter annulum, raram habentem gemmam digito detrahit; Miratus aurifaber à sordido piscatore tam nobile ad se deferri cimelium, & suspectans unde haberet, quaerit. Ille candide, à duobus, inquit, juvenibus ingenui vultus, sed habitu & vestitu squalidus: neque se ultra scire. Delata mox ad Dynastam urbis Johannem è Romanâ, ut apud Carolum Sigonium lego, Frangepanorum familia hujus rei fama ex prælii eventu nonnihil jam suspicatum, navis ejus jussu instructa: adolescentes retracti & ducti. *i)* Quo audito Carolus Asturam terrâ marique obsessam in suam redegit potestatem & post-

*Emili Xl.
milia Con-
radiniano
rum cecidisse
commemo-
rat. Junge
denuò An-
nal. Suev.
III. II. 18. 117.
Ica doctissi-
mi testan-
tur ex Italiâ
Antonius
& Pandula-
phus.*

*Sigon. de
Regno Ita-
liæ Edit.
Bonon.
1580.*

h) Agasonem indutus, tuto sub censoribus latitaturus, si ex prioris fortuna signibus nihil suis recemisset. Sed annulus qui digito basit, fabulam evertit. Brunn. III, 831.

i) Sed nulla suberat causa, cur magnopere dolerent se deprehensos. Extra hosticum ym erant. Nullam Frangepanes malefici causam habebat: humanitatis permittas: & si pretium opera aliud nullum adpaveret, servasse Principes Germanica juvenitum, quibus non triumphus erat antese.

postquam Ginationum reversus, Calvanum atque Galeottum Cunradini in fuga Comites capitibus in via truncasset, Cunradinum cum Austria Neapolim abducit. Ibi toto fere anno detenti in vinculis tetra miserabilique & quod ab Amicis accepimus, adhuc superstiti ergastulo, Nobilissimi Juvenes: Hoc elapso convocatis Neapolim è Jureconsultorum censu præcipuis, quid faciendum sibi cum captivis esset, percontatus est.

VIII. Ab his in eam denique sententiam conclusum est, *tollendos, è medio, & publicè capite minvendos.* Quamvis ea præcipuis è Gallica nobilitate viris minimè probaretur: Roberto imprimis Flandriæ Comiti, Regis Genero, qui asserbat tanto genere ortum neutiquam tollendum, sed in Gentis propinquitatem matrimoniali scedere trahendum. Sed vicit illorum, quos ante diximus, judicium: Itaque Neapoli locus feticis iisque rubeis tapetiis instruitur, eo in foro, ubi Carmelitarum k) Elix instituta vanissimo aultu jactantium Templum. l) Producti in Scenam Cunradinus & Fridericus Austrius, Gerhardus item Comes Pisanus, qui in prælio Thufcorum Dux fuerat: Præterea Richardus Reburfa, Jo. Grutta, Marinus Capeccius, & Rogerius Bussus, Magnates Neapolitanorum modo & Gallorum, sed ex Italia quoque omni, tam crudelis supplicii spectandi causâ. Aderat & ipse tam feri barbarique ac immanis facinoris auctor Carolus. Cathedram capropter extractam Robertus * Barius Caroli Protonotarius conscendit, sententiamque capitalem in omnes pronunciat. Momenta ejus præcipua erant: *Cunradinum quoniam Ecclesie pacem turbavit, Regni nomen usurparit, Regi denique ipsi necem intenterit, morte damnari.* Quâ promulgatâ animosè ad Bariun dixisse fertur, & Latino quidem sermone Cunradinus. *Serve nequissime: Serve scelestissime. Itane filium Regis damnasti? & ad populum: Nullam ego, ait, Ecclesie injuriam intuli unquam, sed recipere Regnum, à Deo mihi concessum, ab hostibusque iniquissime ereptum, sategi. Moriendum infami & indignâ*

rendam? Sed avarus animus & honesti curâ intactus lucri spe nobi illam prædam hosti venalem fecit. Adde Brunner. l. 11, 832. qui aternis cond. t. 16, non ut hominem sed ipsum humanitatem præditorem laudandum arbitratur.

- k) *Docuit hoc utique Eruditissimus Papibrochim, in perpetuum ac indelebile scelerum opprobrium*
- l) *Diem plerique designant XXVI. Octobr. M CCLXIX. Vel IV. Kal. Nov. Feræ secunda, ut Heer. Siero apud Frekerum Tomo uno R. G. p. 385. unde & Sibraderum aliosq; emendat, qui ad A. 1208. hanc necem referant. Viguerius rator, Ecclesiastica Galli. o Idiome Lugduni Batav. A. 1604. edita xxix. Octobris defniri à quibusdam advertit.*

Theodoricus à Niem de Privileg. Imperii ap. Simon. Scharidum, de Jurisd. Imp. p. 796.

** Rabensem vocat C. Facinus Polite. L. 8. Sed quâ fide?*

Ita Pandolphus Histor. Neapol. l. IV. Conf. Jo. Agentin Annual. Roj. VII, p. m. 467. Edit. Germ.

dignâ familiâ meâ morte. Sit itâ. Matris meæ agnati, Germani mei, Duces Bavarie cæterique è gente affines mortem hanc meam vindicabunt. Dictis his chirothecam (m) alterâ manu exutam, adversus populum proiecit, heredem à se institui asserens Petrum Aragonium. Hanc (n) ad Petrum (o) detulit Henricus *Dapifer Waldburgius*, jusque in Regna Sicula eidem assertum memoravit: Cui à Rege, in perpetuam gratitudinis tesseram, Suevici Ducatus insignia data, tres puta Nigri Leones, quos adhuc in gentilicio deignate servant Illustrissimi Waldburgii. Mox Fridericus Austrius ingeniculare primus jubetur, cui caput incisum. Illud è tabulato sublatum Conradinus amplexus, osculatusque, profusis lachrymis dixit: *O miserum me, qui Te, tam charum caput, à vidue Matris complexu abstractum, hanc in calamitatem conjeci.* Inde multa de acerbitate & perfidia inimicorum conquestus: innocens, ait, ac præter fas & æquum hereditate atavi, proavi, avi, parentis sanguine partâ, ipsa denique vitâ spoliator: Causam ad Dei tribunal rejicio. Videbit hoc scelus, vindicabit hoc parricidium summus in cælis Judex, cui animam ab hoc corpore mox divellendam committo. Sic flexis ad Deum genibus, veniaque peccatorum petita fortiter carnificem expectat: qui caput amputat, & ab alio mox interficitur, ne extaret qui generosum, quique in tot Imperatoribus Regibusque stillaverat, sanguinem ab se extinctum esse, insolentius jaçtarent. Addamus & Epitaphium Conradino scriptum:

Asturis ungue Leo pullum rapiens aquilinum

Hic deplumavit - acephalumque dedit.
& Guazz. in Chronicis Italicis: Saxeus verè, inquit, esset ille, cujus animum non commoveret tanta crudelitas.

Tantum ergò facinus in Principem Germanum, in Suevum, paravit Gallus: Atque hic exitus Conradini fuit, quo cum nobilissima simul Ducum Suevorum familia occidit, quæ paterno maternoque genere jam à Clodoveis Carolisque multos Imperatores, Reges, Principes produxerat. Cujus quidem Historiæ recensui pluribus haud immoratur: (p) Quippè qui non tam historiam scribere, quam adplicatione Morali eandem illustrare constituimus.

B

CAP. II

m) *Addunt alii: cum annulo, conf. Imhof. Notic. Proc. S. R. I. VII, 19, 532.* n) *Quidam Fridericum Castellanicum, sed perperam, Crus. III. II. 28. pag. 119.* o) *Qui suo quoddam habere diceretur ex Coniuge Constantia Manfredi Frider. II. filii nostr. filia.* Adde Pufend. Introd. p. 72 p) *Multo minus ergò in racula enarrabimus, quæ sub hanc eadem contigisse meticolosè Henricus Sylvius, fidenter autem Brunnerus memorat, illum legant, qui fabella delectantur.*

Crus. d. l. p. 120. Adde infr. cap. II. §. 8.

CAPUT II.

- | | |
|--|---|
| <p>I. De eo quod in captivos
justum. Rationes pro iis
benignè humaniterque
habendis, & de tempera-
mento Imperii.</p> <p>II. Rationes in contrarium.</p> <p>III. Respondetur ad argu-
mentū à servitute petitū.</p> <p>IV. De Jure Gentium, quid
statuendū è Bœcleri Phi-
losophiâ,</p> <p>V. Exceptio à Judæorum in
servos severitate eliditur.</p> <p>VI. Factum Davidis in Am-
monitas expenditur.</p> <p>VII. Rejecta Theodoreti su-
spicione, & admissa inter-
pretatione durissimum
supplicium confirmante,</p> <p>VIII. Confirmatur nostra
sententia verbis Petr. Ar-
ragonii; & ad male pro-
ductam auctoritatem Au-
gustini respondetur.</p> <p>IX. Actores Tragœdiæ Pon-
tifices Romani.</p> <p>X. Papæ mancipiorum præ-
textus.</p> | <p>XI. Suevorum in Ecclesiam
Germaniamque merita
adversus Præsules Capito-
linos.</p> <p>XII. De Jure horum in Nea-
polim, & de Prophetia
Papæ.</p> <p>XIII. Dicta §. IX. roboran-
tur.</p> <p>XIV. Talio divina.</p> <p>XV. Rebus uti secundis
queis datum.</p> <p>XVI. De Prudentia bellige-
randi Monitum unum.</p> <p>XVII. Alterum.</p> <p>XVIII. Tertium.</p> <p>XIX. De irâ reprimendâ
monitum.</p> <p>XX. Constantia amicitiae
cujus?</p> <p>XXI. Præstantia militis ve-
terani.</p> <p>XXII. Nihil quod crudele,
utile.</p> <p>XXIII. Recursus & clausula
ad Deum Immortalem e-
jusque Providentiam.</p> |
|--|---|

I.
Supereff igitur, ut instituti memores in praxi jam ostendamus, quid
 vitæ humanæ colligendum hinc fit, simulque universam historiæ Mo-
 raliatē, sed breviter, & primis quod ajunt lineis definiamus.

Primum

Primum quo jure in captivos uti liceat? disceptari equidem passim videas; conquisitis praesertim variis pro praesenti facinore praetextis Justitiae, sub quibus ipsa scilicet Justitia vitari haud raro solet. Nos, pensatis utrinque rationibus, id asseveramus: Jus belli & victoriae non abrogare *Jus humanitatis*, & parcendum proinde eorum vitae arbitramur. Quorum praecleara est apud Ciceronem Pyrrhi sententia:

Quorum virtuti belli fortuna pepercit

Horum tamen me libertati parcere certum est.

Parta nimirum victoria conservandi sunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuere: nec hoc proprie belli jus cum Ariovisto dicimus, quod, qui vicissent, quemadmodum vellent, imperarent. Nam quum in bello non tam de vita rebusque aliis, quam de Imperio per vim certetur manifestum utique existimamus, ubi Imperium à vi exteriore defensum tutumque est, nullum propterea violentiae aut crudelitati locum dari. Neque id vel *universalis* belli finis admittit, qui est quietus & securus juris quod cuique competit usus: vel *particularis* actionum singularum bellicarum scopus patitur, qui est, ut auctis ad jus nostrum defendendum vindicandumve viribus, hostiles econtra vires ad nocendum nobis coerceamus. Atqui uterque hic finis citra hostium captivorumque internecionem obtineri potest: dummodo recta *finium comparatio* instituat, nec violento nimium remedio securitatem stabilitum eat Victor. Quare & Ptolemaeus, referente Plutarcho, Antigoni filio Demetrio tabernaculum & alia ad curam corporis pertinentia, pecunias quoque captas remisit, dicens non de omnibus rebus, sed de Imperio & honore inter ipsos certari. Quo magis vitam servari capto æquum erit, quàm nihil homini charius delciusque? In ipso igitur mancipio, ait Seneca, cogitandum, *non quantum illud impune pati possit, sed quantum tibi permittat æqui bonique Natura*, quæ parcere jubet etiam captivis & pretio paratis. Pertinet aded hoc ipsum ad communem totius generis hominum conciliationem & *CONSOCIATIONEM*, quam colere, tueri, servare Membra tanquam ejusdem corporis, simul ponderata probe Naturali *Æqualitate*, humanitatisque edendo exempla, jubemur: ne dum id, quod proprium est hominis, repetere victoria postulat, decertandi nempe per disceptationem genus: ad aliud regrediamur, quod ad belluas pertinet, & ad quod confugiendum non est, nisi quum uti superiore haud liceat. Est enim usus belli planè subsidiarius, ubi nempe quies gentium non nisi armis obtineri queat. Capto verò hoste, in nostramque redacto potestatem jam id obtinuimus, ut sine injuriâ

Adde Cicer.
Off. l. 12, 25.
Nec mi aurum posco, nec mi pretium dedecit: C. G. f.

de Clem. 1, 18.

in pace vivatur: Igitur amplius sciendum in devictum non erit: Sed veterum potius Romanorum imitanda æquitas, qui nihil victis eripere, præter injuriæ licentiam. Quo de Temperamento circa acquisitionem Imperii legendus omninò Grotius. III. XV, 2, 3, 4. 54. & de captivis moderatè habendis in Fœdere Friderici & Ludovici Palatinorum Rheni cum Ludovico Comite Württembergico statutum est. *Daß Er die Gefangene nach Erbar Kriegs Gewonheit halte/ und auch ohn des andern Theils Wissen und Willen nicht tödten lasse.* Sub dato Freitag nach St. Matth. 1457. Conf. hoc de puncto & de captivis Illustribus servatis, Excellentis, Domini DATTII Opus Illustre de Pace Imp. publ. I, 21, 5. II, 34, 3. Nostris moribus sapientissimum est consilium æstimandi captivos publicis tabellis, (Cartels) quæ tamen æstimatio speciem tantum venditionis habet, non propria venditio est.

Adde argumentum ibi, c. XXXI, 14, 15. Ambr. Off. l. 29, 72.

II. Equidem obstare non parùm prolatis videtur, quod in bello capti, Natura rei exigente, saltem *Jure Gentium* servi fiant, in quos dominis nihil non licere constet, dudumquæ probaverit Seneca; adhuc, hostem interfici posse extra dubitationis aleam poni: quum victori jure belli liceat quodcunque libuit facere: Hebræos quoque Hesbonitarum feminas puerosque occidisse, quin & Cananaeos, quorumque cum illis connexa fuit causa delere connixos: denique nullibi culpari, quod ob improbi Regis imprudentiam, violatosque ejus jussu Legatos Davides Ammonitas horrendis cruciatibus subjecerit; Esse enim qui putent passos esse vel dentatas carpentorum rotas, vel acutos tribularum silices.

II. Sam. XII, 31.

III. Non tamen hæc tanti sunt, à sententia ut nos dimoveant. Namque servi ex ipsa rei Natura citra factum humanum nulli sunt: Neque hunc Natura illi inæqualem rectè dixeris: quidquid in speciem è Stagirita atque aliunde opponant, qui contrarium tenent; Differunt enim & probe discernenda sunt: esse quem *Natura servum vel Dominum & tali compositum præditumque ingenio esse, ut convenienter huic videatur servire, alteri verò dominari.* Ceterum demus Bello captos pro servis haberi jure gentium posse: Quid inde? a) Ideone obliviscemur, servos homines esse? aut hominem rationis compotem ad parum cum bestiis fortem redigemus, ut qui libertatis, optimi ac præstantissimi thesauri possessor est, in machinam, quod ajunt, molarem commutetur? Hoc quidem

Conf. Pufendorf Op. Maj. V. 3, 2, 3, & Osiander ad Grotium. p. 792.

a) *Vicissimur eos, qui nobis nocere conati sunt, tanquam, Quantum aquiritur. HUMANITASQUE paritur, penâ adficiamus. Cicer. Off. II 5, sub fin. Adde Christian. Thomaf. Jurisprud. Divin. III, 15, 24, p. 225.*

dem committere humanitas vetat; b) Nec cum servo poterit agi ita, quem-
admodum aliis rebus nostris pro lubitu uti abutique possumus; neque
aliis datâ operâ præterque meritum erit addicendus, apud quos inhumane-
riter habitum iri prævidemus. Quid quod ipsa servitus in captos bello
solenni eam ob causam introducta fuit, ut à summo illo rigore captores
tantò libentius abstinerent, quo captos interfecere poterant? Servorum
quoque appellatio, notante Pomponio ex eo fluxit, quod Imperatores ca-
ptivos vendere, ac per hoc servare nec occidere soleant. Itaque nec illud
humanitati officit, quod de infinitis Juris in captivos effectibus dictum
est, nihil non licere Domino in servos: Licere enim hoc dicitur, non quod
rectum ex omni parte piumque sit, aut salvis officiorum regulis fieri
queat, sed quod aliquando inter homines pœna non subjaceat, ubi illud
Ammiani studiosè semper tenendum: Sunt aliqua quæ fieri non oportet,
etiamsi licet: & Ciceronis ac Plinii in eandem sententiam pronunciatum;
Quare & apud Diodorum Siculum Byzantii & Chalcedonii, quod cap-
tivorum ingentem numerum interemissent, eximie crudelitatis facinora
perpetrasse, & τὴν ἰσθμὸν νόμιμα Jus commune sprevisse dicuntur. De Chri-
stianis non dicemus, quos inter convenit in universum, ut bello inter
ipso actu capti eum in modum servi non constituentur, quem antiqua
vocabuli notio indiget, qualem etiam inter se consuetudinem Mahume-
distæ servant. Quod ipsum eò rectius apud utramque gentem invaluit,
quo magis nobis indubitatum est, primam servitutis originem non ex
bello arcessendam esse, quanquam ex eodem servorum numerum vehe-
menter auctum esse non diffiteamur. Est quidem & illud pensatione
non indignum, quod victor in hostem jus habeat? dominii nempe & li-
centiæ lædendi, donec pactum intercedat, & SALVO ORDINE SO-
CIETATIS. Quo sensu & Cæsar de Heduis pronunciat, suo conservatos
beneficio, quos jure belli interficere potuisset; Immo & ad illos Jus licen-
tiæ extendi in bello constat, qui innocentes sunt: interficiendos tamen
eo in casu, ubi victoria aliter obtineri, aut Civitas oppugnari non possit:
quod nisi jure liceret, neque Barbarorum tiremes sine peccato aggredi
licitum foret, in quibus remiges Christiani sunt & innocentes: quod ab-
sonum statuere, quum publicum bonum, quod ex ejusmodi victoria
speratur, innocentium quorundam interfectioni meritò anteponatur: nec

Grot. III. 4.
2. § III. 2.
16.

Grot. III. 7.
9. § Zentg.
de J. G. pag.
283.

Obrecht. de
R. B. II, 3.

B 3 un-

b) Deus enim, Deus, nonne palam reclamant? qui igneo illo Spiritu omnes
humanas argutias dissipat, qui si ventus solia, aut pinnula in tellurum.
Vide omnino Ulr. Obrecht. de Rat. Belli, vulgò Raison de Guer-
re III. 36. & IV. 5, & 8.

enquam ullam oppugnare civitatem integram esset, qui vix ulla erit, in qua non unus alterve sit, qui noxa caveat, quod valde inconueniens. Interim scire in hostem, ubi is *nostra factus est potestatis*, & redigi in *ordinem potest*, inhumanum merito habetur: nec quod iure belli apud Scriptores nonnullos factum dicitur, actum omni culpâ liberat, sed meram impunitatem, aut si mavis, Politicam Moralitatem, aliquid sed IMPERFECTE licitum, connotat & importat. At nobis de Lege humanitatis quaesitum est, quæ naturalem supponit æqualitatem, quamque vel

vid. Jacob. Thom. Ph. Moral. Tab. X. lin. 25 & in Annuat. ad d. l.

1, 2. ff. Arriani Comment. de Epistoti Disputat. lib. 1, 13, 58. edit. H. Wolf.

Gothi olim sequuti supplicibus & in Tempa fugientibus pepercerunt, quodque belli iure fieri licuisset, illicitum sibi esse iudicauerunt: memorante hoc ipsum, generosumque facinus dignis celebrante elogiis Augustino insigni opere de Civitate Dei. Vide & Arriani Comment. ubi sic abutentem iure in servos increpat: *Ἀδελφοῦδον, οὗκ ἀπέξῃ τὸ ἀδελφῶ τῷ σουτῷ, ὅς ἔχει τὸν Δία πατέρα ὡς ἐκ τῶν αὐτῶν σπέρματων γέγονε, καὶ τῆς αὐτῆς ἀνάθεης καταβολῆς*; Mancipium, non ergo ferus fratrem tuum, qui genus à Jove summo ducit? qui ut filius iisdem seminibus procreatus est, eodemque nititur fundamento? *Et post pauca*: Non recordaberis, qui sis, & quibus imperes? *ὅπ συζυγῶν, ὅπ ἀδελφῶν φύσει ὅπ τῷ Διὶς ὑπογόνων*. Nonne cognatis? nonne Fratribus Germanis? nonne à Deo oriundis? Ut jam non urgeam, vulgari potius errore, sparsoque per gentes rumore, quam vera juris alicujus explicatione statui, quòd Victor Belli iusti jus habeat interficiendi promiscuè omnes in potestatem redactos. Nec sufficit ratio commutata, cum caede licita servitutis. Imò ne pertinacia quidem in resistendo; Quare & Historicus, qui de Henrico II, Rege Gallie memorat, quod Bovinorum quosdam vi captos, nimium obstinatos, iusserit suspendi, id factum ex communibus Juris bellici principiis non posse probari profitetur. Adde Obrecht, de Rat. Belli II, 8, 15.

Jungatur J. C. Boehmann ad Gros. III. 14. 3.

Laudata etiam nuperimè Dn. Zentgrafio de J. & J. Subscr. de Jure Gent. §. 12. pag. 168. & Werthof. de Pæctis Liberar. Gent. §. 5, 6, 8.

IV. Est insuper ambiguum valdè, è Bœcleri Philosophia, Juris Gentium vocabulum: Jam enim pro Civili ferè populorum iure accipitur: alibi sic de eo pronunciat, uti à *Natura lege ferè non differt*, atque in gentibus aliquo humanitatis usû excultis observatur: deaique mores potius & facta, quàm Jus *multarum gentium* notat, quamvis illi Mores & facta Juris nomine pratexantur. Primò significatu si accipiatur, diffidendum non est, trahi à Gentibus ad utilitatum suarum rationes: Natura Jus, & Legibus civilibus certam, eamque modò severiorem modò benigniorem de servis constitutionem latam: sed, quid inde? Al-

tera

tera hujus juris acceptio huc non quadrat. Jus enim Naturæ servitutem non nisi humanam & Naturæ rationique sociali conformem admittit; nec præsumendum est in dubio, gentes juri Naturæ contraria, vel ab eo longè discedentia voluisse. De tertio genere quid dici debeat, facile est colligere; Solet enim eo sensu dici id juris esse, e) quod sola auctoritate exemploque nititur, & proposito Rei alicujus publicæ commodo facti indecentiam dissimulat, nec aliud sæpè jus habet, quam IMPUNITATEM. Igitur accuratè distinguenda sunt, quæ à more quorundam populorum pendent, ab illis quæ à JURE Gentium proprie tali, & cujus necessitatem obligationemque non ignoramus, asstimantur. Adde, quod servitus etiata perfecta, si naturaliter consideretur, Jus vitæ & necis non continet. d)

V. Caterùm dita illa ac insolens Judæorum adversum servos inhumanitas nobis haud adversatur: quæ persuasum habuere, se non vestitum quidem aut victum debere servo è Gentilibus, licet omne operarum genus eidem imponerent, staturâ etiam ob neglectum gravi & durissima castigatione: Gentibus in hoc nonnullis duriores & deteriores, è quibus Dijo: *χρη*, inquit *δεονόζεν Αμεναις*: quippe sine quâ æquitate jus heri summa est injuria. Quod autem in Hesbonitas Cananæosque tam severè animadversum fuit, è divino quidem jure processisse censet Grotius, quod in homines majus sit, quam hominum in bestias; Nos verò Juri Justitiæ rectius adscribi existimamus, quò Deus non nisi gravissimis illarum gentium peccatis commotus, concessâ etiam CCCC annorum de malefactoris pœnitendi morâ ferale illis exterminium intulerit: Nec Deus hominem ex plenitudine Domini punit, sed vi Justitiæ, quæ impunitum peccatum haud relinquit. Quid? quod B. Sebast. Schmidius asserere non dubitavit, pacem quidem, ex divino præcepto Cananæis ab Israelitis offerri debuisse, cum conditione emigrandi è terrâ: quam pacem si renuerent, & se cum armis opponerent, ut occiderentur. Conf. Rabinus Venetus, qui gentes pro diversa qualitate quam ad gentem sanctam habuere, humanius vel inhumanius à Judæis tractatas fuisse contendit.

Conf. Gew. XV, 16.

ad Jud. 1, 50 p. 73.

Conf. Zentg. de Josua 9, XVII. & Rabbini Venetus Sim.

LuZatto nel discorso circa il stat. degli Hebr. Consid. 13, 15. & B. Hoffer. de

VI. mutua Libertate peregrinandi inter gentes. C. 1, §. 4.

- e) Consensere in aliquibus Jura peccato, & cepit esse licitum, quod publicum est, ut ex Cyprino refert Albericus Gentilius J. B. 1, 5.
 d) Consensere hoc videtur Baclerus Comment. ad Grot. 11. 5. §. 28. p. m. 140. seq. & Ill. Kulpis Coll. Grot. Exercit. V. 9. 48. & XIV. 21. 164. Dr. Müller Folio 94. IMPUNE non tamen HUMANITER, & Csc. Off. 111, §. 119, Homo Naturæ obediens, homini nocere non potest.

2. Sam. X. 3.

VI. Circa factum Davidis duo nobis, instar characteristicae specimēnum Philosophia, supponenda sunt. Pervideri nempe ex hoc Ammonitorum Consiliariorum exemplo posse, quam frivole nonnunquam sint hominum, politica, quam perperam sibi imaginantur, sapientia turgentium conjectationes, qui dum suae sibi malitiae conscii sunt, nemini fidunt: atque ibi perfidiam solent metuere, ubi fideli dexterrimoque cuncta geruntur animo.

Tantam quoque occupatorum praedictis odiisque animorum esse acorbatem, ut candidorum beneficiis non modo placari non possint, sed & irritentur magis, & raptis in contumeliam optimè quibusque dictis factisque, adfingendi undique occasionem capient: Quod ipsum graviter deduxit Hieron. Wellerus, eleganti Comment. ad 2. Sam. X. 26 2. Fuit insuper gravissimum peccatum, quod Legatos Regis optimi summa adfecere & injuriā & contumeliā, barbæ nimirum vestisque dimidiam partem abradendo, quod plerisque gentibus summo semper probro fuit. Ut ex illo Poeta:

Vide Horat. Satyr. l. 3. Cas B. G. III 93, pag. 70. Edit. Jungerm.

Vellunt Tibi barbam lascivi pueri:

constat, Denique & universi generis humani intererat, graviter eos puniri, Legatos qui violassent. Quare & Veneti intellexere, quantum in Casarem facinus admisissent, Legatos (quod nomen ad OMNES Nationes sanctum inviolatumque semper fuisse) retinendo, & in vincula conjiciendo. Cæsar verò in Venetos cō *gravius vindicandum* statuit, quò diligentius in reliquum tempus à barbaris Jus Legatorum conservaretur. Itaque omni Senatu necato, reliquos sub corona (vel in orbem dispositos, quæ conjectura Hottomanni est vel coronis indutos, quæ Gellii, minus nobis verò similis) vendidit.

de Bello Gall. III. 16. 4. & Bell. N. A. Lib. VII. 4.

Vid. Pol. ad h. l.

VII. Equidem, si Arabem Syrumque audire interpretem velimus, non erit, quod nimiae severitatis Davidem incusemus. Nihil enim ex utriusque Translatoris sententia in Ammonitarum nonnullos statuit, quàm quod in compedes catenasque ferreas eosdem conjecerit, istoque habitu per eum deduxerit locum, in quo lateres formantur & igni durantur. Rarior est Theodoreti sententia, qui ex *πλαθίον* quod apud τὸς LXX. occurrit, & laterificinam significat, aliam postremi hemistichii interpretationem commentus est; esse nempe *πλαθίον* quadratam aciem, sicut quadrentur lateres. Quali David coegerit Ammonitas transire per hanc Hebræorum aciem, ut ab ea hastis & gladiis confoderentur. Gallis id

id dicitur: *Passer par les piques*. Sed hunc sensum Hebraica Veritas non admittit, quam Il. Sam. XII. 31. legas ואת העם אשר בה הוציא וישם במגרה ובחריצי הכרזל ובמגרות הכרזל והעביר אותם במלכין. è Versione S. Schmidtii: *Populum denique, qui in ed, deduxit, & posuit in ferrâ & tribulis ferri, & securibus ferri; quin transire fecit eos per fornacem lateritiâ*. Omnino varia hinc suppliciorum pœnatumque Ammonitis inflictarum genera enarrantur; Id quod & Abarbenel, sanior ceteris è gente Judaicâ Interpretibus eleganter observavit; והם מיני עונשין ואיסורין והמגרה הוא הנקרא בלעז שירא Varia, inquit, hæ sunt species afflictionum castigationumque. Prima instrumento facta est, quod Latinis ferra appellatur. Conf. & Salom. Ben-Melech, qui addit esse hoc instrumenti nomen, quo ferati, quodque ferra adpellari soleat. Neque sanè incognita ferratio Cananæ incolis fuit, quo dirissimo quoque supplicio Esaiam adfectum esse Hebræi memorant. Eodem in milites quosdam u. us fertur Valens Imperator. Pariter Gellius refert in XII. tabulis hoc supplicium decretum debitoribus esse, qui solvendo non essent, ut in plures dissecarentur partes, & inter plures aded creditores distraherentur: Sed nunquam ea lex data executioni fuit. Quod & apud eundem Sextus Cæcilius testatur: Dissectum esse antiquitus neminem legi, neque audivi. Alios (quod alterum genus cruciatuum) carpentis ferratis כהריצי הכרזל sustulit. Quod instrumentum fuisse ferratum autumant Salomo Ben Melech & Abarbenel, in ejus ferè figuram efformatum, quo fruges trituantur atque palæa cortexque à nucleo sejungitur. Rursus & ferrea adhibita sunt instrumenta, queis nomen מגזרות ab incisione lignorum, iisdem Magistris, inditum. Denique etiam traduxit eos per fornacem lateritiâ. Nec obstat, quod ad marginem in Keri per Malben eos traduxisse memoratur. Verum enim utrumque est, Traduxit eos per fornacem, ubi lateres decoquebantur: & per Molochi ædem, in qua Ammonitæ liberos huic idolo suo flammis exurendos immolabant, transire fecit. Quod ipsum, uti complura alia luculeter expedit Excell. Noster Dn. Hillerus, Orientalium Linguarum Prof. Celeberrimus, egregio opere Arcani Keri & Kethib. II. 326, 327. Fuere ergo magnæ utique severitatis supplicia, quæ Rex omni ceteroquin laude dignissimus de Ammonitarum gente sumpsit. Quare & Caspar Sanctius, Centumputeolus, existimat, multo perniciosius tantæ crudelitatis exemplum humano generi fuisse, quam violatæ Legationis scelus

A. Gellius
N. A. XII.
pag. 324. b.
Nam de immanitate illa secunda partiendiq; humani corporis piget dicere.
Eo consilio tanta immanitas pœnata denunciatâ est, ne ad eam unquam perveniretur Gell.
l. c. 327. b.

Ed. AufGerp
1624. p. 714.

esse impunitum. Sed neque omnes Ammonitas id commeruisse. Itaque cogor, ait, existimare, Davidem hoc fecisse, cum cæcus esset propter peccatum, maximè quidem luxuria, quæ omnem ab illo pudorem & humanitatem expectoraverat. Sanctium tamen ejusdem consortes sodalium refellunt Salianus, & Corn. à Lapide, qui Davidem à peccato sevitia excusant: Neque alia nobis heic mens est: qui de facto Davidis benignius judicandum arbitramur: quippe quod nullibi culpatum reprehensumque à Deo legimus, & in eos commissum fuit, quos ob ingentem malitiam horribili adedò supplicio dignos nemo negaverit. Qui enim, ut reliqua prætermittamus, offerendis Melchomo sacrificiis crudelissimi extitere suosque infantes per ignem traducere, vel quod D. Kimchius observat inter brachia candentis idoli concremare soliti sunt, merito & ipsi per incensam fornacem traducti, aut in eam conjecti fuere. Quid quod frustra ad hæc talia Heroum divino actorum Spiritu facinora provocetur? & quod ad rem præsentem pertinet, eamque omnem facile conficit, nul- lum in Cunradino scelus comparuit, quo vitâ privari commeruisset, spes una tot Regnorum ac Provinciarum, legitimo insuper bello cum hoste congressus, & repetundæ paternæ avitæque hereditatis causâ in Italiam vocatus. Qui armis regnum sibi optimo Jure debitum ab invasore recuperare conatur, in actu maximè licito versatur. In obscuris forte dubitationi locus est; hic justus injustique tum clarum erat discrimen, ut in dubium, nisi malitiosè vocari non posset. Adde Bæcler. Annot. in *Ænea Sylvi Histor.* Edit. Kulpif. p. 143. Ut egregiè in Chronicis Marcus Guaz- zus tametsi Italus: Saxeus, inquit, verè esset ille, cujus animum tanta non commoveret crudelitas, in tam excellentem Regem, nobilemque Du- cem, eosque ætate adolescentes edita. Quanto verò rectius Romani veteres de quibus Cicero: Bene, inquit, Majores nostri hoc compara- verunt, ut neminem Regem, quem armis cepissent, vitâ priva- rent. Quid ita? quia quam nobis facultatem fortuna dedisset, iniquum erat in eorum supplicio consumere, quos eadem fortuna paulò ante in amplissimo Staur collocarat. Quia? quod exercitum contra duxit? desino meminisse. Quid ita? quia viri fortis est, qui de victoria contendant eos hostes putare: Qui victi sunt Eos HOMINES judicare: ut possit bellum for- titudo minnere, pacem humanitas augere. At ille, si vicisset, num idem fecisset? Quid igitur ei parcis? Quia talem stultitiam contemnere, non imitari conluevi.

*Adde Schi-
hard. de J. R.
N. 6.*

*Symm. Rhe-
tor. ad He-
renn. IV. p.
m. 32. edit.
Joach. Ca-
metar.*

VIII. Rectè proin Petrus Arragonius in Epistola ad Carolum: Tu Non: Netonior, & Saracenis crudelior. Nero sanè subtraxit oculos, jus-
 sique scelera, non spectavit. Quare & Nerone savior Domitianus di-
 citur Tacito, quod præfens non ut exactor tantum suppliciorum, sed
 ut spectator ludi sanguinarii interfuit. Et exprobravit istam imprimis
 crudelitatem literis ad Carolum datis Petrus Arragonius: Cunradinum
 Tu, non in prælio, sed inertem nequiter captum: post diuturnum car-
 cerem, post probrosa ludibria, post multas ex eo factas ostentationes ad
 pompam: contra Justitiam, contra Deum, contra omne Jus belli, contra
 consuetudinem præcis moribus adprobatam vita inhumaniter privasti:
 huic generi pro nectare rependens absynthium: ut qui Comitatum Pro-
 vincia, cum uxore, de Gratia speciali à Friderico Cunradini Avo acceperis,
 fidelitatisque Juramentum illi pro se & heredibus suis præstiteris.
 Fædiorem utique scenam inter Christianos nulla Tyrannis struxit, sive
 Castellæ aream, quod Ludovicus Boius, postea demolitus dicitur: sive
 medium urbis forum Carolus ipse Spectator sceleris sui crudelitati con-
 fecravit, oculis inde gaudentibus, unde etiam minimè humanis aut
 mollibus lacrymæ sunt citate. Jungatur è nostris Crus. d. l. & è Bojis
 Brunner. III, p. 834. Equidem ad Augustinum pro scelere palliando
 provocatum est; sed quam ista manifesta cavillatio juris fuit, cum
 auctoritas Patris augustissimi in patrociniū huus savitiæ turpissimè de-
 torta est? qui cum vim militarem intra actus bellicos coerceat, & vi in
 actu bellico utentibus violentiam reddi dicat, e. g. quando resistentes aut
 vim inferentes in acie & pugnis interficiuntur: captis autem misericor-
 diam deberi ultra statuat, præsertim si nulla perturbatio pacis metuenda
 sit: contra sanam hermenevticem & omnem civilis & Christianæ Philoso-
 phiæ rationem formatus est casus, quasi ex mente Augustini tum demum
 & solum misericordiæ locus sit, ubi nulla pacis perturbatio debeat metui.
 Quod etiam si acciperetur, sicut accipi verba Augustini non sinunt, quam
 absurdum est metum perturbandæ pacis fingere, ubi capti in potestate sunt,
 & à nocendo in posterum certis & *moraliter* extra periculum positis ratio-
 nibus arceri possunt. Instas: Tolli è medio debuisse, à quo superstitè semper
 metuum fuisse Caroli, Italiæ imò univèrsæ. Atqui in eos qui meris
 commoti suspicionibus ne damnum ab aliis pati necesse habeant, damno
 eos adficiunt, illud omnino Vibii Crispi dictum convenit: Quis Tibi sic
 timere permisit? Itaque adversus incertos metus à divina providentia &
 ab innoxia cautione, non à vi præsidium petendum est.

*Conf. Cyriac.
 Lenui. ad
 Agricola
 Taciti pag.
 760. seq.*

*Jo. Wolf.
 Le. Mem-
 rab. ad An.
 1208.*

*Bæcler. Ana-
 not. ad E. n.
 Syl. p. 143.*

IX. Mali verò hujus, ad omnem, quæcunque futura est, posteritatem detestabilis causa totiusque tragædiæ actores fuisse Pontifices Romanum. Equidem, ut fert ingenium hominum de rerum eventu temerè plerumque judicantium, sententiis variatum vehementer est. Nec desuere, qui malum omne Cunradini majoribus adscriberent. *Aeneas Sylvius*, postea Pius II. Histor. Frider. III. Crediderim, ait, ita cœlesti Numini placuisse, cui persecutores Ecclesiæ grati esse non possunt: constatque sæpe progenitorum scelera in nepotibus vindicari. *Sed nimirum* de Ecclesiæ persecutoribus cum iis clamat, qui cæco partium studio omnia Pontificum honesta & inhonesta laudare solent. Non possum non hoc loco sed obiter, memoriam recolare Civis nostri, *Michaelis Coccinii*, *Tubingensis*, cujus de Imperii à Græcis ad Germanos Translatione libellus hac in Academia A. M. DV. scriptus extat apud *Simon. Schardium* de Jurisdic. Imperiali Basil. 1566. in quo jam ante tempora Reformationis Romanorum Præsulum arrogantiam candidè perstrinxit: Non potest, inquiens inter alia, Regi Papa Imperii Coronam denegare: etiamsi Rex homagium præstare noluerit. Ex tali enim submissione Rex se *VASSALLUM* faceret Papa. Sed Imperator Imperium tenet à Deo, ministerio Electionis Imperii Electorum. Cæterum ex *Aenea* siue dubio hausit sequentia *Ludovicus Maurerius*: *Executionem vocans, qui fait encor fremir d'horreur la posterité: mais qui sembloit un coup de la Justice Divine,* POUR LES BARBARIES, que les Peres de Conradin avoient exercées de toutes parts. Ubi tamen *Jacobum Arragonium* perperam adpellat, quem *Petrum* unanimi Scriptorum consensu vocavimus, c. 1. §. 8. Crudelius nimirum haud pauca patrassè, quam par erat: nec semel clementiæ oblitus erga dedititios fuisse: Sic *Henticum VI. Imp.* non frustra communi voce *Asperum* dictum, in *Tancredi* filium, æquo durius animadvertisse, quod *Sicilianum* Imperio eundem dejecerit: quod contra fidem datam *Sibyllam* Reginam Viduam unà cum filiabus Monasterio inclusèrit, quod *Guilielmo* filio, ad quem Regni axioma hereditario Jure pertinebat, nec *Litii Comitatum* nec *Principatum Tarenti*, uti quidem *Juratus* promiserat, reddiderit: sed, quod crudele, puerum ad spem stirpis adimendam eviraverit: quod præstantes Regni nobiles, Regi suo fidos oculis privavit; *Patria* *Fridericum II. Cunradini* Avum commississe, qui postquam decem millia *Mediolanensium*, justo quidem prælio, mactasset, *Præfectum* urbis *Petrum Tiepolum*, *Jacobi Tiepoli* Venetorum Ducis filium triumpho *Cremonam* ingressus, *Caraccio* impostum, alteroque brachio ad erectum palum

Edir. all.
p. 38.

Michaelis Coccinii Tubingensis Libellus egregius. p. 715.

Voce: Conradin. pag. 272.

palum alligato, circaque collum ducto laqueo agitaverit, tandemque in Apulia publicè ex turri ad mare suspendio sustulerit: quod Theobaldum, Franciscum & Guilielmum d. S. Severino, Principes, pluresque alios Proceres non aliam ob causam, quàm quòd ad Papam transfuissent, immanibus delverit suppliciis, alios quippe ardenti flamma confectos: patricidarum alios supplicio, culeis nempe cum singulis canibus, gallis gallinaeceis, fimiis viperisque insutos, in mare projectos: ut alia, quæ Fazellus memorat, prætermittam: Conradum denique IV. sanguinis & paterni instituti oblitum, fratrem natu minorem Henricum, quem decedens Genitor Fridericus II. adhuc puerum Sicilia Regem scripserat, honoris & gratulationis causa ad se profectum, per Johannem Morum Saracenorum Ducem interim, curasse; quo factum, ut impœnitens idem Conradus decesserit, quod tamen gravissimus Scriptor Jo. Nauclerus, idemque primus Academiæ nostræ Rector, pernegat. Testamentum enim fecit, iniquiens, in quo heredem instituit Conradinum. Quis igitur crederet tùm in extremis positum suæ immemorem salutis fuisse? *

X. Caput autem rei esse ajunt Romanenses, quod contra Summos Pontifices plurima machinati sint, Ecclesiamque sæpius turbaverint. Hoc nempe mali principium: hinc se prodit forex. In tantum excreverat Ecclesiæ Romanæ antistitum ambitio, ut ad se pertinere liberam de Imperiis Regnisque in univèrsam dispositionem jactarent: Papam esse, cujus pedibus omnia subjecerit Deus, oves, hoc est, Christianos, boves, Judæos & hæreticos: pecora campi, paganos: pisces maris, animas in purgatorio, volutres cœli, animas beatorum & angelorum: Illum piscatorem hominum factum esse, ut in omnes homines dominationem exerceat, & potestatem habeat Regibus atque Imperatoribus imperandi, eos citandi & ejiciendi.

conf. 5. præced. 9. ab i. m.

Spiritualissimum, quem vocant, Antonium, Sum. Theol. III, 12.

XI. Intolerabile semper hoc jugum Suevis nostris visum: Quare & ex ea gente Imperatores justas passim querelas de Papa Imperii invasore effudere; Id quod cum ab aliis tùm à Joanne Schiltero, eminentis doctrinæ viro luculenter ostensum est; Neque puto, quisquam in Conradi III. Historia tam est hospes, qui ignoret, eundem contra Majestatem Apostolicam plenitudinemque potestatis Pontifici ab Clero adsertam protesta-

L. IV. c. 7. d. 2. 3. de Lib. Eccl. Germ.

C 3 tum;

* Pat est Volaterrani calumnia de Conradi adulterio; quam vel illud argu- s, q. ad Fazellus, diligens imprimis Scriptor, Manfredi id facinus & facinoris exemplum accuratè denarrat, & ad verum auctorem refert, Rer. Sic. Dec. post. L. 8. p. 447. Bacler, ad Rhenum 8719. p. 143.

tum; Qui quidem perniciosissimus Error in tantum invaluerat, ut Bernhardus quoque Clarae Vallis Abbas, peremptoriam dare sententiam ad depositionem Episcoporum solius Romani Pontificis esse dixerit, pro eo nimirum, Quod plus ipse plenitudinem habet Majestatis. Contra Conradus Augustus Pontificem cum ante tum post Carolum M. Imperii Romani membrum precipuum & ordinis sacri quidem caput fuisse fassus est, sed ex eo ipso eundem cum omni Clero summae Imperii potestati ex divina ordinatione subjectum esse probavit. Quandoquidem omnis anima, omnia Imperii Romani membra Imperatori Romano subjecta esse jubentur tam precepto Apostolico ad Ecclesiam Romanam, quam Apostolorum exemplis. Quo factum ut etiam Populus Romanus, de usurpato Pontificis Imperio, & universa sacra potentia edoctus non dubitaret plenam Imperatori Germanico Majestatem adlerere; Imperium Pontifici abrogare, & Conradum ad recapessendum more Majorum *τὸ κρείσσον* solenniter invitare. Ad quem plures in hanc rem Epistolas misit S. P. Q. R. quarum postremam retulit Otto Frisingensis de Gest. Frid. L. 1. c. XXVII. & egregio quoque operi suo inferuit laudatus J. C. Schilterus.

p. 607.

XII. Et quæ quæto arrogantia fuit Pontificis Neapolim Carlotto offerentis destinantisque, in quam nullum Jus habebat? Quæ astutia, Cunradinum mortuum nunciantis? Excipit Platina: Pontificem, dum adolescens Conradinus per agrum Viterbiensem iter in Regnum faceret, ejus casum miseratum, prophetica voce dixisse: Conradinum ipsum ut victimam ad caedem duci. Benè scilicet potuit prophetare, qui precipuus calamitatum mox insectarum Author extitit: & quid aliud illa Clementis IV. vox voluit, quam interitum Conradini? Vita Conradini, mors Caroli. Mors Conradini Vita Caroli. Igitur non absque Clementis calculo sublatum esse reor. Justus quidem Lipsius, apostatarum superstitionisissimus, de tanto capite melius sperat: Unde in monitis submissa murmurat voce; Pontificem etiam obtendunt: atque illum consensisse aut suavisse; Alterum potest, VIX ALTERUM. Sed quid multis opus? Jam supra M. Guazzum allegavimus, qui nihil usus circuitione de universa re testem luculentissimum se exhibuit.

d. 4.

Andreas
Brujnerus,
è Soc. Jesu,
Annal. Bo-
jor. P. III.
p. 233. Sed
Clemen-
tem, ait,
Pontificem
oblitum no-
minis sui no-
cesse est, si
qua vulgo

XIII. Et annon sufficit, Andium Comitem contra Conradinum è Galliis evocatum, juramentoque jam Pontifici obstrictum fuisse? Ambigis: circumfertur, illius vox fuit: *Vitam Conradini mortem Caroli futuram.* Vide Albert. Argentinei, Chron. p. 98.

bigis: viventem ne maluerit Conradinum Inclementissimus Clemens superesse, an mortuum non amplius mordere? Quid opportunius accidere poterat Papæ, quàm submoveri illum cujus potentiam etiam in puero metuebat: quemque timebat ne in Regem Romanorum eligeretur. Quid magis ad gustum Pontificis, quàm Regnum, quod Romanæ Ecclesiæ suo quidem arbitratu proprium fecerat, carere posse periculo? Quod fieri aliter vix poterat, nisi cade & internecione tam cari inestimabilisq; capitis. Audiamus deniq; initium Epistolæ Caroli ad Clementem de Victoriâ suâ: Surge Pater, & comede de venatione Filii tui. Nempe non dubitavit Carolus, senem se nuncio isthoc refecturum, qui jam ante ejus sententiam exquirens hoc responsi tulerat: Non negaturum Pontificem de Conradino fieri justitiam. Qua responsione ut de mandato auctoritateque Pontificis Carolus Conradinum necavit. Conf. denuò Jo. Naucler., qui & ostendit alienæ virtutis ocores falsò Suevos criminari, quos inter Antoninus, Vir alioquin religiosus, doctus, & Archiepiscopus, Conradinum non potuisse regnum cælorum ingredi frivole clamitet. Vellem, inquit Noster, ut Vir cautus in mortuos tam severam non tulisset sententiam.

XIV. Consuevit DEUS immortalis, quos pro scelere gravius ulcisci decrevit, his aliquam *impunitatem* concedere: quo gravius ex rerum suarum commutatione doleant. Ulus est Carolus felici rerum successu integro ferè decennio; sed luxuriâ disfluentibus apud Siculos Gallorum animis, nec virginum pudicitie aut toro uxorum parentibus, Sicula sequuta sunt vesperæ, & Galli omnes, promovente rem omnem Joh. à Prochyta ad æqualem campanæ pulsationem omni cædium genere sublatis, sic ut Insulani ne fœminis quidem suæ gentis è Gallis gravidis parcerent. Occupavit hoc pacto Siciliam Petrus Arragonius, cui eam legaverat Conradinus, & capto Caroli filio unico, Patris cognomine occasionem nactus est vindicandi innocentissimam Conradini necem. Pronunciatum, & illi caput præcidendum esse. Aded, quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus repetit: suoque premitur exemplo nocens. Quare & Constantia, Petri Conjug Caroli denunciari in carcere iussit, provideret animæ suæ ne detrimentum æternum patiatur: Moriendum esse, quo fato Conradinus occiderit. Cui quidem Carolus, Ego verò, respondit, æquanimis mortem oppetam eo die, quo etiam Salvator meus JESUS CHRISTUS mortem pro nobis oppetiit. Quod responsum, quum ad Reginam perlatum esset, præceps illa dicitur ejus ego inquit, propter illum, qui eo die mortem subiit,

mi-

Adde Crusf. d. l. 117.

Gener. XLIII. f. 228.

Puffend. in. trod. p. 63.

De Talione conf. Doct. Danhaver. Hodosoph.

Phano. V. II. 7004. f. 11. in No. 11.

miserebor. Tanta cum laude servatum à Muliere arbitror Carolum, quanta cum infamia Parentis caesus fuit Conradinus.

XV. Ostendit Conradini calamitas, non omnibus datum esse, Rebus uti secundis, quod si rectè novisset, hostium factus haud esset victima. Sed quid in puero mirum: quum ne Hannibal quidem, toties Victor post Canensè praelium id observaverit, languescens Campaniæ deliciis, & optimas quasque occasiones rei gerendæ elabi patiens. Res manifesta est.

Flor. II. 6.

XVI. Qui bella gerit, ei videndum præcipuè, ut quæ relinquit à tergo, fida sint: quo & commectus subvehi possit, & ipse semper cum copiis tutam receptum habeat: Semper hoc consilio usum legimus Cæsarem: qui & pulsus fugatusque Pompejum non ante persequi voluit, quàm cum provincias ordinasset.

Flor. IV. 2.

XVII. Quam verum illud Taciti: Sæpè obstitit vincentibus prævium inter ipsos certamen, omisso hoste, spolia consecrandi, & Vegetii, III. 25. frequenter jam futa acies, dispersos ac passim sequentes, reparatis viribus interemit. Pertinetque huc Leonis Imp. CPol. de bellico apparatu præceptum: Sæpius hoc militibus tempore prælii à Ducibus est inculcandum: Ne ante belli exitum, vel exploratam certamque victoriam quenquam hostium spolient; & Homericæ Nestoris Iliad. 1.

Μή τις τῶν ἐσάρτων ἐπιβαλέμευ μετόπισ
Μή μνηστο αἰδ' ἀνδραγ κτεινωμευ.

XVIII. Amat victoria curam. Sic Josaphatus non præcipitanter ad prædam se adplicuit; & è recentioribus in bello Hungarico, propè Strigonium præcipuè, luculenta bellicæ prudentiæ specimina edidit Carolus Lotharingus. Qui verò impetu magis quàm consilio rem gerunt, plerumque succumbunt, præcipuè si illis negotium cum prudentioribus fuerit.

*2. Chron. XX.
25.*

XIX. Prudentum est abolere dolores, iraque non nimis laxare fræna: quæ ubi crudelitatem post se trahit, maximorum motuum cruentissimarumque cædium Mater est. Patet ex iis, quæ de Siculis Vesperis & Petri Carolique bellis tetigimus; & amplius docet historia. Horrendum est, quod de bello Carthaginensium cum Mercenariis suis Polybius refert. Quasi de industriâ hos populos inter se fortuna composuisset, ut occasionem alternis vicibus utrisque præberet exquisitis suppliciis invicem læviendi, Adde Diod. Sic. in Excerpt. Peiresc. p. 276. & præcipuè Bæcle-

L. I. c. 86.

tum,

tum, qui in Taciti Histor. hæc ipsa solidè elegantissimèque deduxit

1F, 44r 765r

XX. Non est firma amicitia quæ subdole coalescit. Ostendimus id in contextu historiae de Amicitia Manfredi & Papæ; Crescit inter diversa volentes odium, Vellej. II. 60. Propriè ergò non nisi ea amicitia est, quæ fundamentum habet Bonum honestum. Rarò enim fideles videris, quos munus aut gratia copulavit.

XXI. Quantum in veterano milite situm sit, res Caroli per Alardum instauratè documento sunt: cujus quidem strategema notatum adedò non improbamus, ut artibus ejusmodi in bello advertum hostes uti licere omninò existimemus. Conf. omninò J. Lips. Civil. doct. V, 17, 132. ff.

XXII. Nulla major excogitari pestis potuit, quam quæ honestum ab utili distrahit: Hinc sicæ, hinc venena, hinc direptiones. Ea ratio & Carolum commovit, ut seposita omni humanitate tam crudele in Conradinum facinus committeret. Nihil igitur quod crudele, utile. Rem illustrat Cicero, Est enim hominum naturæ, quam debemus, maximè inimica crudelitas. Igitur malè, qui utilitate potius dirigi putant officium quàm humanitate.

Cicero Offic. III. 9, 125, & 10, 126.

XXIII. Prorsus divina providentia uti Regna constituuntur humana, sic & mutantur: In quod quidem reservatum DEI iniquum esse Machiavellum gravissimi Viri observarunt, ut mirum sit inveniri hodie, qui Florentino Secretario aliam mentem fuisse clamitet. Interim & vim huc accedere & vitium, nemo inficiabitur: Quippe quæ duæ ex parte hominum causæ mutationis conversionisque Rerumpublicarum existunt, Sed desinendum modò est.

Conf. de Obovicia AA. XVII. 20. & memorabilem locum, Jer. XXVII. 7. Augustin. de Civ. Dei, V. 1, 8. Eocl. Instit. Pol. V. 2. Machiavell. Princ. c. 25v p. 735.

FAXIT CHRISTUS, Tartari victor Pacisque Princeps, ut quam haud ità pridem Orbi Europæo indulserit quietem, perpetuam constantemque habeamus; aut si optanda magis quam expectanda perennis in hac vita serenitas tranquillitasque sit, ejus tamen ope charitatem exhibeamus omnibus; hostes antimæ intestinos externosque fortiter debellemus vincamusque, atque ad alterius demum vitæ gaudia feliciter perumpamus.



AD

Præstantissimum Dn. Respondentem.

GRUNINGERE Gregis Pierij decus
Dulci digne Lyra, non sine plausibus
Mox ornabere lauro
Quam non turpis inertia

Aut Bacchi aut Veneris spicula frangere
Possunt. Nam validas appropereat Tibi
Cornu divite vires
Virtutis sacer impetus.

Te nescit sitiens aura canicula
Aut ignis calidi sternere Sirij,
Quin Tu sedulus almis
Ponas tempus in artibus.

Si perges: eris, ut certus id auguror,
Adspirante tuis Æthereo Patre
Cœptis, unde salubreis
Fructus percipiet Sion.

Geaculab. scripsit

PRÆSES.

Ad Horat.
Carmin. III,
Od. 13.

XI, A.



XI, A.

